



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Nostra verbi ... totius loci explicatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

usitatam $\Gamma\psi$ statuerem, quæ *circum-
ire & discurrere* notavit, unde $\Gamma\psi$ *cor-
rigia* dicta est, ab ambiendo, sive cir-
cumeundo, quia pedi circumvolvi-
tur. Hinc *camelus junior* $\text{כַּמֶּלֶךְ הַדְּרִי$
circumiens vias suas, est camelus
quæ æstro libinis percita notas se-
mitas circumit, & huc illuc vaga-
tur maris potiundi gratia. Inter
animantia maxime libidinosa etiam
camelus est, de quibus Aristote-
les refert, quod *toto die coeant*. In-
primis $\text{כַּמֶּלֶךְ הַדְּרִי}$ flagrat libidine, quæ
est camelus foemina junior, quæ
incipit *catulire*, hoc est, ad Ve-
nerem incitari. Hinc *camelus ju-
nior* $\text{כַּמֶּלֶךְ הַדְּרִי הַדְּרִי}$ *circumiens vias
suas*, est camelus, huc illuc dis-
currens æstu libidinis. Hunc sen-
sum innuere videntur LXX. In-
terpretes, qui reddiderunt, $\delta\psi\epsilon$
 $\phi\omega\eta\ \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma\ \acute{\omega}\lambda\omicron\lambda\upsilon\zeta\epsilon\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \acute{\omicron}\delta\delta\epsilon\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma$.
Verbum $\acute{\omicron}\lambda\omicron\lambda\upsilon\zeta\epsilon\iota\upsilon$ quidem ejulare,
& cum clamore plorare, notat,
verum etiam de eo ejulatu dicitur,
quem emittunt bruta, dum libidi-
ne flagrant. Hinc $\acute{\omicron}\lambda\omicron\lambda\upsilon\gamma\acute{\omicron}\nu\epsilon\varsigma$ sunt Plin. lib. IX
ejulatus, quos emittunt mares cap. 37.
ranæ, dum foeminas ad coitum vo-
cant. Neque aliter hoc intellexit,

Grôt. ad
Jer. 2. 23.

si vera est viri illustris Hugonis Grotii explicatio, interpres Chaldaeus. Is enim habet *depravans vias suas*, h. e. uti exponit vir illustris, *à mare ad mare alium discursitans*.

Buxt. Lex.
Hebr. R.

שׁוּ

Confirmat vir in Hebraicis versatissimus Iohannes Buxtorfius, qui ad hæc verba *משׁוּרר וּרְכִירָה* *implicans vias suas*, notavit, *id est, huc illuc discurrens, æstu libidinis: sic tu fervore idololatriæ*. Atque hic quidem sensus optime congruit huic loco. Gentem Iudaicam cum meretrice comparat Propheta, quæ se cuilibet offert. In *omni clivo*

alto, dicit, *& sub omni arbore viridi, tu te prosternis, meretrix*. H. e. instar meretricis, quæ in lupanari prostat, & cuilibet se prosternit, tu omnibus Diis te prosternis *sub omni arbore viridi, & clivo alto*, h. e. iis omnibus servis. Ulterius vero, quo magis appareat rei fœditas, comparat cum animantibus maxime libidinosis. Postquam notasset jactantiam illorum hominum, qui negabant se esse idololatrias, & volebant videri Deum colere, ac dicebant, ut meretrices solent,

Jer. 2. 23.

non polluta sum, post Baalim non

non

non ambulavi, vehementius invehitur, & vide vias tuas in convalle dicit, Hinnonis nempe, in qua horrenda illa peragebatur Idololatria, ut ipsi parentes traderent liberos suos Molocho immolandos: *Cognosce, inquit, quid feceris, camelus junior, quæ vias circumit.* Quasi dicat: Ne neges te fornicatam esse cum Baalim, cum id appareat vel ex valle Hinnonis, & ex eo quod fecisti, tu, quæ instar cameli junioris, quæ libidinis æstro percita huc illuc vagatur, marem quærens, fervore idololatriæ undique discurras, Baalim quærens quibus te prosternas. Neque contentus Propheta, gentem Judaicam camelum vocare catulientem, pergit porro, & onagram vocat, *foeminam nempe, quæ ubi eminus olfecit marem, à nemine inhiberi potest quominus ad eum currat, imo quæ neminem recusat vel in ipsis menstruis.* Hic enim sensus est versus sequentis, uti prolixè possemus ostendere. Quæ quidem de hoc obscuro & intricato loco non inepte nobis videmur animadvertisse.

Ier. 2. 24.

H

3

V. Uti